

carminum delicias. vnde ab antiquis modo γλυκὺς, aut ἡδύς, id est, *dulcis*, seu *iucundus*, modo χαρίεις, id est, *festiuus*, vocatur. at vero Plato eum σοφῶν etiam appellatione dignatus est. Qui et tanto in honore ab Hipparcho scribit habitum hunc poëtam, vt missa quinquaginta remorum naue eum in urbem euocaret. Saepe autem miratus sum, et alios multos mecum admiratos puto, quod de eo memoriae proditum est, eum quinque talentis a Polycrate donatum, quum iam per duas noctes de iis sollicitus fuisset, reddidisse, se minime sollicitudine digna ea iudicare dicentem. adeo magnos spiritus gerebat, et magnifice de se sentiebat, poëta, vt ne pecuniis quidem succumbere vellet. Nec vero mihi quisquam luxum eius criminetur, quaeso. Sunt enim, vt ait Heraclides Ponticus, gaudia, et deliciae, ingenuorum: siquidem relaxant animos, et incrementum illis praebent: at labores, seruorum, et abiectae conditionis hominum. Vnde fit, vt tales ingenia sua, velut in angustum contracta, habeant. Quod si cui incredibile videtur, poëtam, ad tantam prouectum senectutem, amatoria mordicus adhuc retinuisse, quod a Sophocle dicitur, consideret, equum generosum, quamuis senex sit, in periculis animositate non destitui. Quin etiam ipse Teius canit, *Senex at in choreis Senex quidem est capillis, Iuuenis sed vsque mente est.* Iam vero et Homerus ait, *Gaudeat haec senibus, quorum iam tempora canent, Robore quos languente, animi non deficit ardor.* Atque haec fortassis, in mentione festiuissimi, et cultissimi, omnium poëtarum, non praeter decorum iocatus fuerim. Vos autem, vbi lyrica ista cum aliqua oblectatione legeritis, nisi omnino ingrati estis, mihi gratiam habebitis, qui per multos labores, multaque pericula, vobis eam voluptatem procuravi.